RUPERTUS TUITIENSIS. LANFRANCUS CANTUARIENSIS. HIERONYMUS. ETC.
12. Jh. Seite 54v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift



audire noluerit. ego ultor existam. Hec & cetera que
longum est hic enarrare per spicuum faciunt omni oculos
ad uidendum. et aures ad audiendum habenti. quid idcirco deus
homo factus sit. quia non poterat uisio substantie eius ab homine
uideri. uidelicet propter antiquas inimicicias. quarum paries
stabat inter deum & homines ex peccato primi hominis.
Hinc est illud quod tu legere aut intelligere forte non du
uis. Deum nemo uidit umquam. Unigenitus filius qui est in sinu
patris ipse narrauit. idem soluto pariete inimiciciarum
uisionem dei hominibus ostendit. Iste est propheta ille de quo
moyses ut iam dictum est propheta ait de gente tua & de
fratribus tuis sicut me suscitabit tibi dominus deus tuus. et cetera. Lvii
Ecce duo dii. deus pater & deus unigenitus filius. In lege autem scriptum
est. Audi israel. dominus deus tuus. deus unus est. Et alibi. Ego dominus & non est
amplius. Extra me non est deus. Xanthus. Numquid unigenitus filius
hoc de semetipso aut alius quis de illo dixit ex omnibus asserto
ribus assertoribus eius quod sit extra deum deus. Numquid illud quod iam me
moraui unigenitus filius qui est in sinu patris hoc dicere est.
quod extra deum. aut preter deum deus sit. Ego ait ipse in patre.
& pater in me est. Non igitur duo dii. quia non extra patrem deum filius
deus. immo in sinu patris est unigenitus filius. Lvii.
Qualemcumque quantumcumque facias uel esse uelis xpm tuum.
ego dico tibi quia quod adoras nec deus est nec homo. Xanthus.
Sed utrumque figurat imago. Iam tibi supra dixi quia non adoro
symulachra gentium. sed adoro ueritatis signum. quod uidelicet
ueritatem gentes quamdiu gentes erant nescierunt. Lvii
Et tamen adoras symulachrum opus manuum hominum. Dicit
autem scriptura. Similes illis fiant qui faciunt ea. Xanthus.